

dividere, ampliare, & coarctare fuit etiam in Imperatorum potestate. Ravennatem Ecclesiam Valentinianus Imperator voluit esse Archiepiscopalem, ac totius Æmilie Metropolitanam. Privilegium recenset Rubeus, quod tamen Baronijs plurimum conatur elevare, & arguere imposturæ oppositiones autem ipsius, & Rubei nitubatio circa Pallii concessionem, non sunt magni momenti. *Post hæc ex communi systemate à me in Dissertatione de Hierach. Origin. impugnatione, de Metropolitibus ab initio juxta Imperii formam constitutis, præsidium quærens, hæc adjicit; consequenter Valentinianus statuit suo Privilegio, ut Ravennas Archiepiscopus, & Pallio uteretur, & plena haberet aliorum Metropolitanorum Privilegia. Hæc ille, quæ magno Religionis dispendio Catholicorum nonnulli aliquantulum emollita tradere non erubuerunt. Inverim Apostata ille Spalatenfis veritatis fidei cultus tortus in fine ejus periodi dicta satis recantat, ut intelligamus sibi non constare, quod Catholici Auctores minime agunt. Habet autem; si tamen, Pallium omni ex parte sit Ecclesiasticum, intelligere debemus Valentinianum in hoc Ravennatenfis Privilegio velle, & præcipere, ut Ravennas Archiepiscopus à suo Patriarcha Pallium acciperet, reliquam haberet ab Ecclesia potestatem, illo tamen sic jubente, & ordinante.*

XIX. Verum his adversatur omnino totius Ecclesie non modo, sed & Imperatorum ejus ævi, universalis, & perspicuus consensus, non solum pro Ecclesia occidentali, & latina ad jus Patriarchæ Romani spectante, sed etiam pro orientali. Chalcedonenfis Synodi Acta, quippe quæ eorum ferè temporum sint, quibus, Augusti auctoritate, Ravennati Ecclesie duodecim Episcopi subiecti dicuntur, id apertissime docent. Post pacem Ecclesie redditam à Magno Constantino, nova Imperii forma induta est. Episcopi, Concilii Niceni Canone perperam intellecto, cum civiles Metropoles ab Augustis de novo dicebantur, sibi inde ex Canonibus titulum fieri prætendebant, quo abstrahas à veteri Metropolita Parochias, sibi adsciberent. Bene tamen facta sunt distinguenda, nec enim Augustorum ea mens fuit, ut Ecclesiarum statum mutarent, vel jurisdictionem Episcopis darent, sed quòd suæ potestatis fines hæud excedebat, Imperii civilem typum constituere, habiturione earum Urbium, quæ frequentia, & splendore crevissent, quæve sua in eis mora illustres fieri contigisset. Nec Episcopi eo usque processere, ut existimarent quidquam juris ab Imperatore sibi tradi posse, sed omne sibi jus, Metropoli civili constituta, censuerunt ex Canonibus derivari. Id præsertim Canon nonus Concilii Antiocheni, ita explicans Canonem Apostolicum, & Nicenum. Inde nihilominus & Canones, & veterum Metropolitanorum jura violabantur; quare ei Orientalium abusui, & resistere Romani Pontifices, ac inter ceteros Innocentius I. epist. 18. ad Antiochenum scribens, & Africana Ecclesia, ut ab eo maxime sibi caveret, antiquo mori institit, quo nulli certæ Urbi Metropolitanæ affixi essent. Ex laudata autem Chalcedonenfi Synodo duo evidentissime patent. Primum, Summum Romanum Pontificem id vehementer curasse, ut qui irrepsissent ex civili Urbium gloria abusus, tollerentur. Apostolici Legati constanti Canoni 28. resistentes, quod à Leone Magno Pontifice Romano in mandatis acceperant, ex scheda legerunt, cujus tenor talis erat; Sanctorum quoque Patrum constitutionem prolatam nulla patiamini temeritate violari, vel imminui, ferventes omnimodis perfo-

nae nostræ in vobis, quos vice nostra transmiffimus, dignitatem, ac si qui fortè Civitatum suarum divinis potentia confisi, aliquid sibi tentaverint usurpare, hoc, quæ dignum est, constantià retundatis. Secundo, quòd licet ejus Concilii Patres Canone illo 28. Constantinopolitani Episcopi ambitioni abjecti nimis obsecraverint; abusus tamen, qui nimis excreverant ob novas Metropoles civiles, quarum Episcopi aliena jura violaverant, tollere decrevere. In quaestione de metropolitano jure, quod Beryti Episcopus Eustathius sibi assuerat, obtento quòd Phœnicia, quæ omnis obediverat Tyrio Metropolita, in duas à Theodosio Juniore dissecaretur, res in pristinum restituta est, & acclamatum: contra regulas pragmatica nihil valeant, Regulæ Patrum teneant, & universa pragmatica cessabunt, Regulæ teneant. Tandem verò Canone 12. expressè decretum est in hæc verba; pervenit ad nos, quod quidam cum præter ritus Ecclesiasticos ad Potentatus accessissent, per Pragmaticas unam provinciam in duas diviserunt, ut ex eo duo essent Metropolitanæ in eadem Provincia. Statuit ergo Sacra Synodus, ne Episcopus deinceps tale quid audeat, quoniam is, qui hoc aggreditur, à suo gradu excidit. Quæcunque autem Civitates per literas imperatorias Metropolis nomine honoratæ sunt, solo honore fruantur, & qui ejus Ecclesiam administrat Episcopus, servato scilicet veræ Metropoli suo jure. Observari etiam meretur, quòd cum Actionis 6. sine Marcianus Augustus Chalcedonem Urbem nomine tantum Metropolim declarasset, salva Nicomedienfis propria dignitate, acclamarent Patres justum judicium Imperatoris, & quòd cautum esset, ne quid Nicomediæ dignitati decederet, adiecisse; res repetendos tunc interducat, circumventiones Episcoporum vos abigitis; nec quidquam in Canonibus de ea re decretum est.

XX. Hic enim verò doctissimi Thomassini de nova, & vet. disc. par. 1. lib. 1. cap. 39. mentis aciem mirari subit, qui in his Chalcedonenfis Synodi Actis, cujusdam mutui honoris vices videt, quo se Imperator, & Patres prosecuti sunt. Exclamant, inquit ille, Concilii Patres exerte, liberrimèque contra regulas pragmatica nihil valeant, Regulæ Patrum teneant. Verum id tum demum audent, ubi Judices imperatorii votis permiserunt Concilii, Canonibus an legibus lites Ecclesiasticæ istæ dirimendæ essent, & in votis esse Imperatori ipsi certiores Patres fecissent, ut omnia ex præscripto Canonum terminarentur. Emollivit scilicet solertissimus Scriptor, quæ durius effutiverat Spalatenfis loco supra citato n. 137. Patres videlicet recantasse, quòd Imperator definierat. Id enim verò (ipso præde) non ausissent, nisi Augustus jussisset. Profecto nobis non licet esse tam acutos, qui ea videamus, quæ isti oculatissimi vident. Prior, qui de discrimine utriusque criterii ad litem dirimendam verba fecerit, Eustathius fuit, Rei partes agens, qui lecto Photii libello, cum Judices interrogavissent, quid ad hæc allegat Reverendissimus Episcopus Berytiorum Eustathius? respondit jubete eum dicere utrum secundum Canones moveat, an secundum leges. Ob hæc Photius antequam quidquam adungerent Judices, statim instituit, se velle juxta Patrum regulas rem decerni, & à Patribus Concilii definiri. Quod, inquit, vetustum morem studuerit evertere Eustathius Reverendissimus Episcopus, interrogentur Domini, & sanctissimi Episcopi; ego enim à regulis non disce-